

SELECTAE
E PROFANIS SCRIPTORIBUS
HISTORIAE.*

CAPUT I.

CONSENSUS POPULORUM · OMNIUM PROBAT DEUM ESSE.

1. Ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei; ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam mansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.

Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera; nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio: multi de diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit; non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensus omnium gentium, lex naturae putanda est.

Epicurus solus vidit, primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat *πρόληψιν* Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari potest.

(*) Ex edit. Fischeri, 1777, Lipsiae.

Cap. I. Cic. Legg. 1, 8. — Tusc. 1, 13. — N. D. 1, 16